

liberáti, gratiárum actiónes majestáti tuæ libere referámus. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Exorcismus.

Exorcízo vos pestíferos mures (*vel* locústas, seu bruchos, aut vermes, sive alia animalia), per Deum Patrem ✠ omnipoténtem, per Jesum Christum ✠ Fílium ejus únícum, per Spíritum ✠ sanctum ab utróque procedéntem, ut conféstim recedátis a campis et agris nostris, nec ámplius in eis habitétis, sed ad ea loca transeátis, in quibus némini nocére possítis: pro parte omnipoténtis Dei, et totíus cúriæ cœléstis, et Ecclésiæ sanctæ Dei vos maledicens, ut, quocúmque iéritis, sitis maledícti (*vel* maledíctæ), deficientes de die in diem in vos ipsos (*vel* ipsas), et decrescéntes; quátenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniántur, nisi necessáriæ ad salútem et usum humánum. Quod præstáre dignétur, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sáculum per ignem. **R.** Amen.

Postremo aqua benedicta adspargantur loca infecta.

Benedictio habitus clericalis.

Si quis militiæ clericalis candidatus, impetrata facultate induendi ejusdem ordinis habitum, ipsum petierit a Sacerdote benedici, Sacerdos delegatus habitum clericalem, quem induendus genuflexus brachiis sustentat, hac forma benedicat:

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis induere dignátus es, obsecrámus imménsam tuæ largitátis abundántiam: ut hoc genus

vestiménti, quod sancti patres ad innocéntiæ vel humilitátis indícium, deponéntes ignomíniam sæculáris hábitus, ferre sanxérunt, tu ita benedicere dignéris, ut hi fámuli tui, qui hoc indúti fúerint (*si unus fuerit*: hic fámulus tuus, qui hoc indútus fúerit) vestiménto, te quoque induere mereántur (*vel* mereátur), et inter réliquos hómines conversatióne sancta tibi agnoscántur esse dicáti (*vel* agnoscátur esse dicátus). Qui vivis et regnas Deus in sácula sæculórum. **R.** Amen.

Deinde vestes seu vestem adspergit aqua benedicta.

Benedictio cingulorum

in honorem S. Josephi, Sponsi B. M. V.

In Diócesibus, quibus a S. Apostolica Sede privilegium conceditur benedicendi cingula in honorem S. Josephi Sponsi B. M. V., Sacerdotes adhibere debent hanc formulam, a S. Rituum Congregatione approbatam die 19. Septembris 1859.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui virginitátis consílium et amórem íngeris atque castitátem præcipis: orámus cleméntiam tuam, ut hæc cingula castitátis tésseram bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficáre dignéris; ut quicúmque pro castitáte servánda illis præcíncti fúerint, intercedénte beáto Josépho, sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponso, gratam tibi continéntiam, mandatorúmque tuórum obediéntiam servant, atque véniam peccatórum suórum obtíneant, et sanitátem mentis et córporis percípiant, vitámque consequántur ætérnam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sácula sæculórum. **R.** Amen.

Orémus.

Da, quæsumus, omnipotens æternæ Deus: ut purissimæ Virgini Mariæ, ejusque sponsi Iosephi, integerrimam virginitatem venerantes, eorum intercessionibus puritatem mentis et corporis consequamur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Orémus.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui sanctissimo viro Iosepho purissimam Mariam semper Virginem, et puerum Jesum commisisti: te supplices exoramus; ut fideles tui, qui his cingulis in honorem, et sub protectione ejusdem sancti Iosephi præcincti fuerint, te largiente, et ipso intercedente, in castitate semper devôte persistant. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Orémus.

Deus, innocentiae restitutor et amator: quæsumus, ut fideles tui, qui hæc cingula adhibuerint, intercedente beato Iosepho, sanctissimæ Genitricis tuæ sponso, in lumbis suis sint semper præcincti, et lucernas ardentes gestent in manibus suis; ac similes sint hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei, et in æterna gaudia recipi mereantur. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Deinde Sacerdos, imposito thure in thuribulo, aqua benedicta adspersit cingula, dicens: Adsparges me, etc. postea incensat, et tandem dicit:

V. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus, sperantes in te.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eos.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Deus misericors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, sine quo nihil boni inchoatur, nihilque boni perficitur: adsint nostris humillimis precibus tuæ pietatis aures, et fideles tuos, qui in tuo sancto nomine cingulo benedicto in honorem et sub protectione sancti Iosephi præcincti fuerint, a mundi impedimento, vel sæculari desiderio defende; et concede eis, ut in hoc sancto proposito devoti persistere, et remissione percepta ad electorum tuorum valeant pervenire consortium. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Benedictio puerorum et puellarum
in festis piæ Unionis a Sancta Infantia nuncupatæ.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum et terram.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Orémus.



Quæsumus, omnipotens Deus, pueris istis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, bene-
✠ dicere dignare: et per virtutem sancti Spiritus

corda eorum corróborá, vitam sanctífica, castimóniam prómolve, sensus eorum bonis opéribus únice inténtos custódi, próspera tríbue, pacem concéde, salútem confer, caritátem largíre, et ab ómnibus diabólicis atque humánis insídiis tua protectióne et virtúte semper defénde; ut, te miseránte, paradísi réquiem tandem feliciter assequántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sǎcula sǎculórum.

R. Amen.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, qui párvulos tibi oblátos, et ad te veniéntes, complectebáris, *(hic ponat manus super capita puerorum)* manúsque super illos impónens, eis benedicébas, dicens: Sínite párvulos veníre ad me, et nolíte prohibére eos: tálum est enim regnum cœlórum, et Angeli eorum semper vident fáciem Patris mei; réspice, quǎsumus, ad puerórum et puellárum præséntium devotióne, et benedictio tua copiósa super illos descéndat, ut in tua grátia et caritáte proficiant, te sápiant, te díligant, te tímeant, mandáta tua custódiant, et ad exoptátum finem pervéniant, per te, Salvátor mundi, qui cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus in sǎcula sǎculórum. **R.** Amen.

Benedictio Dei omnipoténtis, Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti, descéndat super vos, custódiat atque dírigat vos, et máneat semper vobíscum. **R.** Amen.

Deinde adspergantur aqua benedicta.

INSTRUCTIO PRO SACERDOTIBUS

QUIBUS SUMMUS PONTIFEX FACULTATEM DELEGAT
BENEDICENDI

CORONAS, ROSARIA, CRUCES, CRUCIFIXOS,

PARVAS STATUAS ET SACRA NUMISMATA
CUM ADNEXARUM INDULGENTIARUM ELENCHO.



Triusque sexus Christifideles in primis admonitos vult Sanctitas Sua, ut quis consequi valeat Indulgentias, quas in præfata Benedictione concedit, necessario requiri aliquod ex enuntiatis Numismatibus, Coronis etc. secum habere, aut apud se retinere.

Item orationes, devotasque preces infrascriptas, uti conditiones pro Indulgentiarum consecutione requisitas, unumquemque teneri recitare, vel secum deferendo Coronam, Crucifixum etc., vel si quis secum non habeat, eadem in cubiculo vel alio decenti loco suæ habitationis retinere, et coram eis respectivas preces recitare debet.

Præterea ab hujusmodi Benedictione Sanctitas Sua rejicit Imagines sive impressas sive depictas, necnon Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, (vulgo Medaglie, médailles nuncupata), quæ ex ferro, stanno, plumbo, vel ex fragili alia materia, facilisque consumptionis conficiuntur.

Vult denique Sanctitas Sua Imagines et Icones benedicendas repræsentare Sanctos vel jam canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

His pro clariori intelligentia prænotatis Indulgentiarum series, quas quis consequi potest, nec non piorum operum implendorum elenchus recensetur, prout infra, videlicet:

Quicumque semel in singulas hebdomadas Coronam Domini, aut Beatissimæ Virginis, vel Rosarium, ejusque tertiam partem, aut Officium sive divinum sive parvum ejusdem Beatissimæ Virginis, vel Defunctorum, aut septem Psalmos Pœnitentiales, vel Graduales recitabit; aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis ægrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam audire, vel, si Sacerdos est, celebrare consuevit; si vere pœnitens, et Sacerdoti per Ordinarium approbato confessus, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit, in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus festis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pen-

tecostes, Sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi; tum diebus Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. Mariæ Virginis; necnon diebus Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi et Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, Mathiæ, sancti Josephi Sponsi B. Mariæ Virginis, atque Omnium Sanctorum; piasque ad Deum preces fuderit pro hæresum atque schismatum extirpatione, fidei catholicæ propagatione, pace et christianorum principum concordia, ceterisque Romanæ Ecclesiæ necessitatibus, in unoquoque præfatorum dierum plenariam Indulgentiam consequetur.

Qui eadem aliis festis Domini, aut Beatæ Virginis Mariæ peregerit, in quolibet eorum participet Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum: qui vero quavis Dominica vel alio anni Festo, Indulgentiam quinque annorum, totidemque quadragenarum. Qui demum in alio quocumque anni die ea præstabit, Indulgentiam centum dierum.

Quicumque saltem semel in hebdomada recitare consuevit Coronam aut Rosarium aut Officium B. Mariæ Virginis, vel Defunctorum, aut Vesperas, vel unum saltem ex Nocturnis, et Laudes, aut septem Psalmos Pœnitentiales cum Litanis et earumdem Precibus, quo die id egerit, Indulgentiam centum dierum acquirat.

Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere pœnitens, confessus ac sacra Communionem refectus, si valeat, alioquin contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam Indulgentiam consequetur.

Quicumque ante Missæ celebrationem, vel sumptionem Eucharistiæ, aut recitationem divini Officii, vel parvi B. Mariæ Virginis, aliquam devotam præparationem præmiserit, quinquaginta dierum Indulgentiam, qualibet vice id egerit, percipiet.

Qui detentos in carcere, aut ægros in nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adjuvando, aut doctrinam christianam in Ecclesia vel domi filios aut propinquos aut famulos docuerit, toties Indulgentiam biscentum dierum consequetur.

Qui ad pulsum campanæ alicujus Ecclesiæ mane aut meridie aut vespere consuetas preces *Angelus Domini* etc. dicet, vel si eas ignoret, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam; vel dato signo sub horam noctis orandi pro Defunctis, Psalmum *De profundis*, aut si hunc nescit, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitabit, centum dierum Indulgentiam qualibet vice adipiscetur.

Eandem pariter consequetur Indulgentiam, qui Feria sexta devote cogitaverit de Passione ac Morte Domini nostri Jesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Quisquis vere pœnitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat, ter Oratione Dominica et Angelica Salutatione devote repetitis in honorem sanctissimæ Trinitatis, et ob reverentiam quinque Vulnerum Jesu Christi quinquies devote eandem Orationem et Salutationem recitet, eandem Indulgentiam consequetur.

Omnes et singulas antedictas Indulgentias unusquisque memoratis diebus poterit aut pro seipso adipisci, aut fidelibus defunctis per modum suffragii applicare.

Declarat insuper Sanctitas Sua concessione præfata Indulgentiarum nullo modo derogari Indulgentiis, quas alii Summi Pontifices prædecessores jam concessere pro nonnullis ex supra indicatis piis operibus, volens easdem suorum prædecessorum concessionem in suo robore permanere.

In distribuendis autem hujusmodi Coronis, Crucibus etc., earumque usu, Sanctissimus Dominus noster servari jubet Decretum fel. record. Alexandri VII. editum sub die 6. Februarii 1657; nimirum, ut Coronæ, Cruces, Rosaria etc. ut supra benedicta, quoad Indulgentias non transeant personam illorum, quibus concessa sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea subrogari altera ullo modo possit, quacumque concessione aut privilegio in contrarium non obstante; nec non eadem commodari, aut precario dari non possint pro Indulgentiarum communicatione, alioquin amittant Indulgentias jam concessas: tum etiam præfata post Pontificiam Benedictionem vendi non possint, juxta dispositionem Decreti Sacræ Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum, editi die 5. Junii 1721.

Insuper Sanctitas Sua confirmat Decretum fel. record. Benedicti XIV., datum die 19. Augusti 1752, quo expresse declarat Missas ad Altare (in quo aliqua ex præfatis sive Crucifixi sive Numismatis Imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a Sacerdote hujusmodi Imaginem secum habente celebratas, vigore dictæ Imaginis nullo prorsus gaudere privilegio.

Præterea vetat ne quisquam, quem infirmis morti proximis assistere contigerit, benedictionem cum Indulgentia plenaria in articulo mortis, vigore hujusmodi Imaginis, illis impertiri audeat sine speciali facultate in scriptis obtenta, quoniam ad hujusmodi effectum in Constitutione Benedicti XIV. incipiente *Pia Mater*, satis provisum jam fuit.